Typis J. QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.

DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Lunæ decimâ nonâ Martii 1725.

M. JOANNE GELLY, Doctore Medico, Præside.

An cibus multiplex simplici salubrior?

I.

HOMINIS vita calamitatum series; congeries, nondùm factus, vix inchoatus patitur dissipationem. Ad optatum majoris perfectionis gradum, imperfectionis minoris potiùs dicendum, nunquam perveniret, nec eodem semel adepto diù frueretur, nisi succo quodam, tenui quidem, sed sub viscido, dulci, temperato, &c. nutritium vocant, ipsius corporis fabrica promoveretur, absolveretur utcumque, & perennis, quam ferre cogitur jactura, perpetuò resarciretur. Illum verò succum suppeditant cibus & potus; utilem, si legitimus eorum usus; noxium, si improbus: hinc morborum Ilias; ipsa mors; illinc optabilis sanitas; vita diuturna. Mirum in re tanti momenti tot committi peccata, incontinentiâ potissimùm, insciriâ, præjudicio. Ut ciborum diversitas major, sic in his quam in potibus, per insciriam saltem aut præjudicium culpa frequentior. Multi authores, etiam melioris notæ, cibum simplicem multiplici longè putant anteponendum: sunt è contra, & qui-

dem diligentes œconomiæ animalis exploratores, qui, cæteris paribus, non leviorem dietæ errorem in conquisitâ ciborum simplicitate positum asseverant. Quæris anxius, in tantâ super hâc re magistrorum controversiâ, quæ sit sententia potior, quis usus servandus? sit ne cibus multiplex? sit ne salubrior simplex? en accipe: Vide cujus est concoctio felicior, facilior distributio; nodus difficultatis erit tibi planè solutus id si diligenter observaveris sedulus veritatis & sanitatis indagator.

II.

SANITAS in functionum integritate posita est. Quod illam præsentem servare potest, revocare absentem, fugientem retinere, eamve juvare redeuntem, id tibi salubre vocandum. Corporis sanitati conferunt esculenta nutritione, accretione: hæc deficientium particularum additione; illa deperditarum restitutione; utraque nutritiorum, quas complectitur cibus molecularum intùs susceptione perficiuntur. Optatus ille ciborum terminus longè ab his dissitus est; viæ angustæ, reflexæ, tortuosæ, difficultatis plenæ. Sua sunt cibis ipsis ad nutriendum impedimenta; corpora namque sunt, plus minus solida, ac proindè partium suarum subactioni, divisioni, attritioni, verbo dicam, concoctioni resistentia. Quanta tamen sit necessitas coctionis, quanta simul ejusdem difficultas, ex multiplici organorum & instrumentorum huic operi addictorum numero, apparatu mirabili & stupendâ potentiâ conjiciendum. Nec mirum; à nutritione namque pendet sanitas, à distributione nutritio, à coctione distributio.

III.

CORPORIS nostri machina duplici partium genere constat; solidarum, liquidarum. Sese mutuò movent illæ partes, & moventur indesinenter: solidas namque tendunt liquidæ fluendo: liquidas pellunt sese constringendo, resiliendo solidæ. In hisce mutuis & perennibus, sed alternatim factis partium motionibus posita est vita; sanitas in æquabili solidas inter & liquidas partes potentiâ, quâ sese mutuò & vicissim superant. Perpetuis illis, absolutè tamen necessariis, partium nostrarum motibus semper aliquid effluit è liquidis, & è solidis abraditur. Ex indesinenti tum solidarum, cum liquidarum partium jacturâ nata est nutritionis necessitas. Duplicis illius substantiæ dissipationi resarciendæ, duplici materiâ providit natura, solidâ videlicet, nempè cibo; liquidâ, seu potu. Vis dissipatas corporis restituere partes? vis deficientes suffi-

cere? cibum elige cujus nutritiæ moleculæ faciliùs evolvantur, atterantur minutius, & ab excrementitiis feliciùs expediantur. Optatum ſcopum attinges, ſi cibum aſſumpſeris, præſcripſeris multiplicem, probi tamen ſucci, conſiſtentiæ, quantitatis, qualitatis, &c. congruentium.

IV.

CIBORUM concoctio in eorumdem ſubactione, triturâ, & nutritiarum molecularum ab excrementitiis ſeparatione conſiſtit. Tritura inchoatur dentibus; fibris muſculoſis, motricibus, elaſticis abſolvitur. Subactionis duo ſunt præcipua inſtrumenta, chymici menſtrua, ſeu diſſolventia vocant, potus nimirum & lympha. Potus infinitæ propemodùm differentiæ, ex aquâ potiſſimùm & fructuum ſuccis oriundæ. Lympha coctioni inſerviens multiplex numeratur, ſalivalis, gaſtrica, inteſtinalis, pancreatica. Non tam naturâ quam nomine & ſcaturigine diſtinguntur. Omnibus ferè, tum lympharum, cum potuum ſpeciebus ineſt ingens particularum magnitudine, figurâ, numero principiorum proportione, &c. diverſitas. Cum corporis noſtri partes ſolidæ, liquidæ infinitis & infinitè propemodùm inter ſe diverſis conſtent moleculis, quo uberior erit in eſculentis nutritiarum partium varietas, eo major erit eorumdem ad nutriendum aptitudo. Quo verò major eſt multiplicitas ciborum, eo uberior eſt nutritiarum particularum differentia. Ideò enim cibi inter ſe ſunt præcipuè diverſi, quod nimirùm integrantes eorum partes magnitudine & figurâ diſcrepant; quod principiorum integrantes partes conſtituentium proportio, textura, nexus, &c. ſint diverſa. Hinc aliæ ſunt tenuiores, aliæ craſſiores, aliæ anguloſæ, aliæ rotundæ, aliæ ramoſæ, &c. in his præpollet ſulphur, in illis ſal, in quibuſdam phlegma, in aliis terra, quædam ſtrictâ texturâ donantur, aliæ laxa, &c. ex tot variis variarum particularum concurſionibus infiniti propemodùm magnitudine & figurâ diverſi effinguntur pori. Hos omnes ſubire, non omnibus menſtruorum moleculis datum eſt; ſed aliis alios. Hinc ſi plures, ſi multiplices, ſi diverſæ ſpeciei cibi aſſumantur, eo copioſiores diſſolventium particulæ vim ſuam exercebunt; nutritiæ ex aſſumptis cibis extrahentur uberiores: è contra, ſi unicus, ſi ſimplex ingeratur cibus, multæ menſtruorum partes ſupererunt otioſæ, inertes; multæ ingeſti cibi moleculæ integræ, conjunctæ, excrementitiis permiſtæ, inutiles, inconcoctæ remanebunt.

V.

CHYLO ex tot multiplicibus moleculis confecto quæque corpori deficientes addentur particulæ ; dissipatæ restituentur : singula corporis vigebunt organa ; functiones perficientur ; stabit vita ; sanitas florebit. Ventriculus cibo multiplici recreatus gulæ errores facilè feret : Lympha si quidem ex divite chylo deinceps oriunda quibuscumque ferè cibis subigendis erit aptissima ; tanta namque erit partium suarum varietas, ut nullus ferè ingeratur cibus cujus subire meatus ; ejusque partes dissolvere aliquæ non valeant ; ipsarum lymphæ & potus molecularum in ciborum poros subingressum progressumque summoperè juvantibus musculosarum, elasticarum à tergo semper prementium fibrarum contractionibus. Antiqua igitur exulent præjudicia, sed cave ab incontinentiâ. Ideò bonas quas vocant fuge mensas gulæ destinatas proceribus, abdomini natis. Juvat quidem variis ac multiplicibus uti cibis, sed boni semper succi, consistentiæ, quantitatis, qualitatis, &c. convenientium : Imò juvat paulò deteriora edulia, suaviora tamen ; melioribus quidem sed insuavioribus præferre. Misceantur itaque utilia dulcibus, assis elixa, conchilia turdis, &c. coctionem quippè ciebunt vel ipsi intermisti quandoque cibi durissimi : horum namque resistente duritie quæque aliorum ciborum particulæ ab invicem divelluntur faciliùs ; divulsæ minutius conteruntur. Calculos seminibus permistos volucres deglutiunt, non quidem illorum magnitudine, figurâ, colore, &c. granorum, quibus vescuntur similibus delusæ ; sed ut ipsorum, quasi tot minutarum molarum ope, exquisitiorem deglutitorum commolitionem promoveant incitatæ.

Ergo cibus multiplex simplici salubrior.

Proponebat Parisiis FRANCISCUS MERY, Parisinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. M.DCC.XXV. à sextâ ad meridiem.

Typis J. QUILLAU Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.